# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Nuclei evangelici pars festivalis

**Trautmann, Samuel**

**Wittebergae, 1664**

Nonum oraculum sacrum

urn:nbn:de:bsz:31-160375

Visual Library

# NONUM ORACULUM SACRUM.

*Phil. II. 9, 10.*

## TEXTUS GRÆCUS SACER.

Διὸ καὶ ὁ θεὸς χριστὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων.

## *Verſio Vulgata.*

Propter qvod & DEus exaltavit Chriſtum, & donavit illi nomen, qvod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JEſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum.

## *Verſio B. LUTHERI.*

Darumb hat auch GOtt Chriſtum erhöhet/ und hat ihn einen Namen gegeben/ der über alle Namen iſt/ das in den Namen JEſu ſich beugen ſollen alle die Knie/ die im Himmel/ und auff Erden/ und unter der Erden ſind.

## *NOTÆ.*

1. Conjunctio concluſiva διὸ, qvæ componitur ex præpoſitione διὰ & ex articulo ὃ h. l. non notat cauſam meritoriam, nec finalem, ſed conſeqventiam & rationem, qvâ unum ex al-

ter

erò conſeqvitur. Hinc rectius redditur in-
ratio per *proinde, ſeu qvocirca, qvam, per, propter,*
uti vulgatus vertit, & noſtrâ qvoq; vernaculâ
melius per daher qvàm per darumb/ qvod etiam
B. Luthero placuit. Vide loca parallela
Pſ. CX. v. ult. Luc. XXIV. v. 26. II. Cor. IV. 13.
Rom. I. 24. IV. 22. XV. 22. Maccab. XXVII. 8. 22.
Act. XX. 31. XXV. 3. II. Cor. VI, 17. Ebr. XIII. 12. 4.
& hæc nota *contra Pontificios & nonnullos è Calvinianis, exiſtimantes, Chriſtum ſuâ incarnatione & paſſione ſibiipſi aliqvid promeruiſſe.*
Hinc Bellarminus lib. 5. de Chriſto cap. 9. ita ſcribit: *Chriſtus corporis gloriam & nominis exaltationem ſibi promeruit.* Et Zanchius lib. 2. Epiſt. ad D. Stukium hoc ſæpius repetit: *Chriſtus ſuâ obedientia ſibi promeruit vitam æternam.*

2. Si Chriſto datum eſt nomen ſuper omne nomen, utiq; pari honore cum patre eſt colendus, *contra Socinianos, negantes, Chriſtum abſolutè pari cultu cum DEo colendum eſſe, eò qvod non ſit natura ſummus DEus.* Vid. Smalc. Exam. 100. Error. p. 21. num. 75.

3. Ex h. l. ita colligimus:

Qvem tenemur adorare religiosè, eum etiam tenemur invocare.

At Chriſtum tenemur adorare religiosè, ut liqvet è loco præſenti & Ebr. I. 6.

E. etiam tenemur Chriſtum invocare, *contra eosdem, exiſtimantes, poſſe qvidem invocari Chri-*

*ſtum*

*ſtum, non autem neceſſarium id eſſe, ut invocetur.* Vid. Socin. in Diſp. cum Francis. Davidis de Invocat. Chriſti Smalc. de Divin. Chriſti c. 24.

4. Verbum χαρίζεσθαι, qvod gratis donare vel largiri ſignificat, uti vertit Eraſmus, valdè emphaticum eſt, & nobis geminum ſuppeditat argumentum. Primum tale eſt:

Qvicqvid Chriſto fuit datum *ex gratiâ*, illud Chriſtus non impetravit ex merito.

Sed nomen ſupra omne nomen Chriſto datum fuit ex gratia.

E. Illud Chriſtus non impetravit ex merito, *contra eosdem, exiſtimantes, Chriſtum morte ſuâ exaltationem ſibi promeruiſſe.* Vid. Smalcius Exam. 100. Error. p. 28. Horum veſtigia legunt Bellarminus, Zanchius, & alii, uti modo vidimus.

Alterum eſt ejusmodi:

Qvæcunq; majeſtas & gloria ex *gratioſo dono* profecta eſt, non poteſt Chriſto competere qvà λόγος eſt. Divinæ enim naturæ ex gratia nihil poteſt donari.

Sed majeſtas illa, qvam heic Apoſtolus deſcribit, ex *gratioſo dono* profecta eſt.

E. non poteſt Chriſto competere, qvà λόγος eſt, *contra Calvininnos, qvi hanc exaltationem divinæ naturæ adſignant, & ita in Arianorum caſtra deſcendunt.* Sic enim Danæus in Aſſert. p. 38 *Nulla, inqvit, carnis aut humanæ naturæ cogitatio neceſſaria eſt, imò prorſus removenda à reli-*

*religioſa DEi divinæq; naturæ, etiam in Chriſto ipſo adoratione.* Qvoniam Hic HONOS SOLI DEO debetur.

5. Notatu qvoq; digna eſt collectio, qvæ è loco præſenti & aliis parallelis fluit, hunc in modum:

Qvæcunq; majeſtas eſt *ſupra omne nomen,* qvodq; nominatur, non ſolum in hoc, ſed etiam in futuro ſeculo, eſtq; majeſtas ſive gloria æterna, & ſub ſuô ambitu omnia in cœlo & in terra comprehendit, eſtq; ſupra omnem principatum, virtutem & dominationem &c. illa majeſtas non eſt creata ſeu finita, ſed infinita, immenſa, & planè divina.

Atqvi Chriſto ſecundum humanam naturam talis majeſtas eſt communicata, ut patet è loco præſenti. Matth. XXIIX. 18. Epheſ. I. 24. Dan. VII. 14. Apoc. V. 12. &c.

E. illa majeſtas non eſt creata ſeu finita, ſed infinita, immenſa & planè divina, *contra eosdem.*

6. Qvamvis nomen h. l. uſitatô Ebraiſmô ipſam rem complectatur, notetq; divinam gloriam & majeſtatem, & Apoſtolus heic deſcribit dominium & majeſtatem Chriſti, & potiſſimum agat de interiore cordis flexione; nihilominus tamen interna cordis flexio per externam genuflexionem declarari debet & ſolet, id qvod ex 1. Reg. XIX. 18. II. Paral. VI. 13.

Ro-

Rom. XI. 4. Eſa. XLV. 23. Pſal. XX. 30. ad oculum pateſcit. Qvod notandùm.

*I. Contra nonnullos è Calvinianis, qvi Chriſto ſecundum humanitatem cultum adorationis denegant, nec ad mentionem ſacroſancti nominis JEſu poplites inflectunt, nec caput, detracto pileo, denudant, ſed geſtum illum veluti ſuperſtitioſum damnant.* Hinc Calvinus ſuper locum præſentem ita commentatur: *Plus qvam ridiculi ſunt Sorbonici Sophiſtæ, qvi ex præſenti loco colligunt, genû flectendum eſſe, qvoties nomen JEſu pronunciatur, qvaſi vox eſſet magica, qvæ totam in ſono vim haberet incluſam.* Mareſius in Colleg. Theol. Loc. 9. §. 3. exiſtimat, *ſuperſtitione teneri Lutheranos, qvi Papiſtico more, auditô nomine JEſu caput aperiunt & genua flectunt, non tamen auditis nominibus DEi, Chriſti aut Redemptoris.* Eandem buccinam inflat D. Nicolaus Arnoldi in Diſtinct. Maccovianis cap. XI. diſt. 29. ita ſcribens: *Nomen dum Chriſto datum dicitur, non ſignificat nomen, ut Pontificii & Lutherani volunt, unde etiam videas, dum nominatur nomen JEſus, eos, pileis depoſitis, genua flectere, in qvo tantum major abſurditas liqvet, qvod dum Chriſtus aut DEus appellatur, nemo illorum pileum attingat, qvaſi JEſus qvid majus eſſet, qvam Chriſtus aut DEus.*

Qvi plura deſiderat notatu digna, tùm de **nomine JEſu, tùm de genuflexione, in hoc no-**

mine adeat Theologi Clariſſimi Dn. D. Freislebii Diſputationem Inauguralem de Prædeſtinatione Jenæ habitam Anno 1657. themat. 1. Analytic. §. 16. & B. Glaſſii Meditationes Sacras ſuper Epiſt. Dominic. Dom. Palmarum p. 790.

*II. Contra Pontificios, qvi genuflexionem in publicis precibus inter feſtum Paſchatos & Pentecoſtes, item in diebus Dominicis & præcipuis feſtis prohibent*, juxta caput: Scire detur Diſtin. 76. Et cap. 2. de Feriis cap. Qvoniam de conſecrat. Diſtinct. 3. & c. Si qvis Presbyter. Diſt. 30.

7. Καταχθόνιοι dicuntur οἱ κατὰ χθονὸς ὄντες, qvi ſub terra ſunt, & h. l. per καταχθονίους intelliguntur Dæmones & damnati. Nam & Dæmones coram Chriſto contremiſcunt, eumq; Dominum & judicem ſuum agnoſcunt. Et reſpicit Apoſtolus ad locum Eſaiæ XLV. 23. Mihi curvabitur omne genu. Omnes enim ſtatuemur ante tribunal Chriſti, Rom. XIV. 11. atq; adeò damnatorum genua curvabuntur Chriſto, *contra modò nominatos Pontificios, qvi ex hoc loco πυρκαθαρτήριον, ſeu furnum purgatorii ſuccendere conantur*, dum per καταχθονίους, ſeu *ſubterraneos defunctorum animas in purgatorio intelligunt*. Vide Eccium in Enchir. p. 219. A qvibus tamen hac in parte diſcedit Bellarminus, qvi lib. 1. de Purg. c. 8. §. penult. fatetur, *per καταχθονίους h. l. non improbabiliter intelligi Dæmones*. De qvo plura vide apud

G Chem-

Chemnitium in Exam. Concil. Trident. part. 3. de Purgat. p. 566. & B. Gerhard. Tom. 8. Locorum Theol. de Morte §. 274.

8. Qvamvis h. l. Apoſtolus etiam inferorum i. e. Diabolorum genua Chriſto eſſe flectenda adſerat, tamen hoc non eſt intelligendum *de genuflexione & ſubjectione voluntaria, qvæ ſanctorum Angelorum & hominum credentium eſt, ſed de genuflexione & ſubjectione involuntaria, qva Dæmonum eſt & damnatorum, contra Origenem, qvi ex eo, qvod inferorum* (i. e. Diabolorum) *genua flectenda eſſe Chriſto* h. l. *adſeritur, illos aliqvando Chriſto charitatis adfectu ſubjiciendos & ſic ſalvandos credidit.* Sed ſatis de Notis, reſtat nunc ut vacivas aurium ædes reſeremus

ORTHODOXIS VETERIS ECCLESIÆ DOCTORIBUS, qvi piè credunt & docent,

Qvòd ſancta Chriſti caro unita τῷ λόγῳ ſit adorabilis.

SECUNDUM HUMANITATEM accepit, ut curvetur ei omne genu, *Athanaſ. in 6. Dial. de Trinit.*

Qvi pietatem erga Chriſtum obſervant, *utramq; ejus naturam adorant, Idem de Peccato in Sp. Sanct.*

Si qvis dicit non adorandam Domini noſtri carnem, *ut hominis,* & non adorandam ut

Domi-

Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia, *Idem de Incarnatione, ſicut citatur apud Cyrillum Tom. 4. in defenſione Anathematiſmi octavi. Et in libro de Recta fide ad Reginas.*

Non excelſus exaltatur, ſed caro exaltatur excelſi, & *carni excelſi donavit nomen ſuper omne nomen. Idem contr. Apollin. de natura humana, explicans locum præſentem.*

Qvomodo CORPUS DOMINI non eſſet adorabile? qvum Verbum manum ſuam corporalem extendens ſanarit febricitantem, *vocem humanam* edens ſuſcitaverit Lazarum, *manibus ſuis in cruce protenſis* principem aëris proſtraverit. *Idem Orat. 5. contra Arianos.*

Licet Deitatis & humanitatis in Chriſto una prorſus eademq; perſona, *exaltationem tamen & nomen ſuper omne nomen* ad eam intelligimus pertinere formam, qvæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. Non enim per incarnationem aliqvid deceſſerat Verbo, qvod ei Patris munêre redderetur. *Forma autem ſervi* humana eſt humilitas, qvæ in gloriam divinæ poteſtatis EVECTA eſt, ut nec ſine homine divina, nec ſine DEo agerentur humana, *Leo Epiſt. 38.*

Secundum CARNEM dictum eſt ei: Adorent eum omnes Angeli, *Chryſoſt. hom. 3. in cap. 1. ad Ebr.*

Revera magnum eſt & admirabile ſtuporeq; plenum carnem noſtram ſedere ſurſum & adorari ab Angelis & Archangelis, & Cherubim & Seraphim. *Idem Tom. 4. ad Ebr. hom. 5.*

Ego Dominicam CARNEM, imò perfectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, qvia à Divinitate ſuſcepta & Deitati unita eſt, *Auguſtinus de Verbis Domini.*

Chriſto ſecundum hominem mortuo, Chriſto ſecundum carnem reſurgenti, adſcendenti Deus *donavit nomen, qvod eſt ſuper omne nomen. Idem in Pſ. 109.*

Adoramus Chriſtum DEum & hominem unâ adoratione *μετὰ τῆς ἀχράντου σαρκὸς αὐτοῦ*, cum immaculata carne ejus. Neq; *ἀπροσκύνητον*, inadorabilem carnem eſſe dicimus. Nam adoratur in una Verbi hypoſtaſi, qvæ & ipſi hypoſtaſis facta eſt. Neq; creaturam colimus: nam non ut nudam carnem adoramus, ſed ut unitam divinitati, & ut in unam hypoſtaſin DEi Verbi duæ ejus revocatæ ſunt naturæ, *προσκυνῶ τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον*, adoro Chriſti utrumq; ſimul. *Damaſcenus lib. 3. cap. 8. O. F. p. 198.*

Adorant Magi in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis, ut Sacramentum fidei ſuæ intelligentiæq; manifeſtent, qvod

quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur: Thus Pontifici, Myrrham homini, aurum offerunt DEo, *Leo Papa ſerm. de Appar.*

Gleich wie die Weiſen ſich zu dir/ HErr
Chriſte! kehren/
Und dich als GOtt und Menſch anbeten
und verehren:
So will ich dich als GOtt und Menſch
auch beten an/
Denn du/ als GOtt und Menſch/ für
mich haſt gnug gethan.

Ex eodem verſu.

*Theſauros aperi* cordisq; orisq; manusq;
operisq;
Os *laudet*: *credat* cor: manus *exhibeat.*

# DECIMUM ORACULUM SACRUM.

*Rom. X. 9. & 10.*

TEXTUS GRÆCUS SACER.

Ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ ςόματί σου κύριον Ἰησοῦν, καὶ πιςεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. Καρδίᾳ γὰρ πιςεύεται εἰς δικαιοσύνην, ςόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.